

hol. gen.
586

Patrol. 23846

134.
Patrol. 95

D I F F E R E N T I A E
S E X V S V T R I V S Q V E
P A T H O L O G I C A E M O M E N T A

Q V A E D A M
C O N S E N S V E T A V C T O R I T A T E
I L L V S T R I S M E D I C O R V M O R D I N I S

I N
A C A D E M I A G E O R G I A A V G V S T A

S P E C I M I N I S L O C O
P R O O B T I N E N D I S S U M M I S I N A R T E
M E D I C A H O N O R I B V S

C O N S C R I P S I T
R V D O L P H V S F R I E D E R . H A R T M A N N

H E L V E T O - B E R N A S

P V B L I C E Q V E D E F E N D E T

D I E V I I I . M A I . M D C C L X X X



*Vti alia est maris, alia foeminae sanitas, ita et
cuique sunt sui, in quos per sexum magis in-
clinat, morbi, masculini, foeminini.*

GAVB. Institut. pathol. med. §. 613.

G O E T T I N G A E
T Y P I S I O . C H R I S T I A N . D I E T E R I C H .

DEUTSCHLAND
ZWEY VERTHEILE
PÄTHOLOGISCHE MOMENTE

CONSTITUTIO ET AFFECTIO
HELVETICIS MEDICORUM ORIENTIS

ALTHEIMIA GEORGIA AVGVSTA
FACULTAS MEDICINA

1800 GEORGIEN
FACULTAS MEDICINA


ADOLPHVS FRIDRICH HARTMANN
PÄTHOLOGISCHE MOMENTE

DIE VON HERRN DOCTOR
ADOLPHVS FRIDRICH HARTMANN

IN DER FACHSCHRIFT
PÄTHOLOGISCHE MOMENTE

VON
ADOLPHVS FRIDRICH HARTMANN

GOLTTINGEN
VERLAG VON
HARTMANN



M A N I B V S

P A T R I S O P T I M I

S A C R V M

1788

OPFER

1788

1788

PROOEMIUM.

§. I.

Cuius animanti pro varia atque varia eius conditione summus creator variam quoque corporis structuram, et compagem, singulorum vitae generi, solo natali, domicilioque quam maxime congruas dedit, ex quo praecipue supremi numinis sapientia elucet. Quolibet enim circumpexeris, nullum inuenies animal, cuius structura, tam externa, quam interna, tota organisatio, facultatesque
A omnes.

omnes, quarum ope aut' victum quaerit, aut aduersus pericula sibi imminencia sese tuetur, cum eius cōditione non plane conuenirent. Eandem solertiam in con- dendis sexibus, vt vterque destinationi suae quam maxime adaptatus esset, ad- hibitam videmus, vnde differentia, omnium animantium, et vtriusque sexus, physio- logica oritur. Aequae magnam vero di- versitatem etiam in statu morbofo, et aequalem physiologicae illi differentiam pathologicam inter illa existere oportet, quum pro singulorum animalium et vtrius- que sexus vitae genere, functionibus, solo natali, domicilioque tam inter sese di- versis et morborum quoque causae aliae, atque aliae, ac multum inter sese diuer- sae in ipsa agere debeant, ipsaque pro diuersa sua natura ab illis morborum cau- sis diuersimode affici, necesse sit.

Non

Non enim tantum quoad quasdam partes, membraue aut viscera quaedam, quibus vnum animal, alterue sexus prae altero gaudet, caretue, animantia, sexusque inter sese differunt, sed et intima eorum compages, singulorumque, vt hac voce vtar, parenchymata, pro cuiusuis conditione et natura plurimum a sese aberrant, vnde non tantum in statu sano, sed et in illorum morbis magna adest diuersitas, tam quoad dispositionem et propensionem in quemcunque morbum, quam quoad modum, quo morbum quemuis ipsa aggressum perferunt.

Quibus omnibus diu, multumque mecum perpensis, nulla plane alia res, quam in dissertatione sic dicta inaugurali pertractarem, adeo mihi arrisit, quam in differentiam sexus vtriusque patholo-

gicam inquirere, causasque illius ex diversis sexuum corporis habitu, vitae genere, et functionibus corporis, si tyroni adyta haecce naturae penetrare liceret, eruere. Quodsi vero inceptum pro iuvenili ingenio nimis arduum foret, si rem satis abstrusam extricare haud valerem, tum forsan dixisse licet: In magnis voluisse, fat est.

§. 2.

Neque vero ea mihi mens est, totam morborum cohortem, qua genus affligitur humanum, in duas distribuere partes, earumque alteram viris, alteram autem foeminis assignare, quasi mares a morbis foemineis, et vicissim mulieres a virilibus plane immunes essent, quod valde absurdum foret, imo quotidianae experientiae summopere aduersaretur.

— — —

5

retur. Nullus enim hucusque innotuit morbus, qui non vtrumque sexum promiscue inuadat, exceptis tantum illis, qui a functione quadam alterutri solum sexui propria pendent, quales illi sunt mulierum a menstruatione, conceptione, grauiditate, partu, puerperio, et lactatione oriundi, sexui sequiori tam proprii, vt, viros ab ipsis corripere, plane sit impossibile. Non ergo heic examinare mihi proposui, quinam morbi sexum tantum potiozem, quinam tantum sequiozem inuadant, sed in quosnam morbos ob suam naturam, vitaeque genus alter sexus prae altero inclinet. Quiuis enim morbus vtrumque sexum corripere potest, veruntamen vni prae altero imminet, prouti iste sexus ob suam naturam, vitaeque genus altero magis ei est expositus.

Hinc facile cuiuis patet, non in eo
fitam esse differentiam fexus vtriusque
pathologicam, quod viri tantum ab istis
morbis, in quos per fexum magis incli-
nant, corripiantur, a ceteris omnibus
plane immunes, et vicissim mulieres
nulli, nisi isti, inuadant morbi, in quos
natura muliebris virili est pronior, sed
in ipsa hacce diuersa in quemuis morbum
propensione iacere. Sufficit enim, vt po-
tentiae morbificae quaeuis fatis diu, for-
titerque in corpus agant virile, foemi-
neumue, vt demum corpus hocce aegro-
tum succumbat, et morbo ipso corripia-
tur, licet ob suam naturam parum, imo
multo minus quam alter fexus in eum
inclinaret. Differentia igitur fexus vtrius-
que pathologica in eo consistit, vt omnes
causae morbificae vtrumque fexum eo
magis, minusue afficiant, quo magis mi-
nusue

nusue in ipsas inclinatur, et ab omnibus potentiis morborum vterque sexus alter altero citius vel tardius aegrotet, prouti ob suam naturam, vitaeque genus in morbos ab illis potentiis oriundos alter altero magis, minusue propendet.

Optime quoque scio, plurimos dari, hodierno praesertim tempore, viros, qui vitam degentes muliebrem planeque effoeminati, naturam demum induerint muliebrem, contra vero multas existere foeminas, rure praesertim quae duro labore victum quaerentes, vitamque degentes duram, laboriosam, imo virilem, talem demum assumserint naturam, habitumque, de quibus ergo minime ea valere, quae haec, quoad scopum meum proferam, sponte patet, quae vero, prouti merae a communi regula exceptiones minime hanc immutare valent.

§. 3.

Antea vero, quam ad propositum meum accedam, haud incongruum erit, delineationem quandam characteristicam sexus vtriusque, quoad eius differentiam physiologicam, diuersumque vitae genus praemittere, quandoquidem, vti ipse Gaius, immortalis memoriae vir, inquit, alia est maris, alia foeminae sanitas. Multo facilius enim differentiam pathologicam eruere ac determinare spero, si a differentia physiologica, norma quasi stabilita, exiuro, multumque lucis afferet scopo meo praemissa status, habitusque sani descriptio.

Habitus

Habitus virilis.

§. 4.

Si corpus masculinum attente adspexeris, robustum, strictum, tenax, ac muliebri maius, procerius, torosiusque invenies. Ossa virilia maiora, densiora, hinc et robustiora muliebribus reperiuntur, atque articulationes habent longe firmiores illis, quibus sceletum muliebre coadunatur. Musculis quoque mares polent, maioribus, torosioribus, et robustioribus illis, quibus sequior utitur sexus, ideoque et viribus muscularibus viri longe superant mulieres. Hinc etiam quoscunque labores, et quaevis corporis exercitia vir diutius fert, inque iis ferius defatigatur, ac foemina quidem solet, illo longe impatientior laboris. Eiusdem in-

dolis sunt etiam tela cellulosa, omniaque viscera, quae ex ea conficiuntur, quae ergo viris sunt strictiora ac robustiora quam foeminis.

§ 5.

Hanc solidarum partium naturam fluidas redolere, nemo sanae mentis mirabitur, quandoquidem, quo fortiora, robustiora sunt organa, eo elaboratiores, coctiores, spissioresque euadunt humores, ab illis parati. Hinc omnia fluida in corpore virili coctiora, elaboratiora, melius subacta, intimiusque mixta sunt illis, quae in corpore muliebri circulantur. Sanguis virilis plus cruoris, minus feri continet, quam muliebris, et adeo est praeparatus, coctusque, ut e vena missus citius coaguletur, et placenta tum orta firmior, ac compactior sit, ferumque limpidius remaneat,

neat, ac quidem in sanguine muliebri
 obseruatur. Qualis est sanguis tales etiam
 sunt humores ex illo secreti. Hinc succi
 viriles omnes muliebribus sunt coctiores,
 elaboratiores, et magis quasi rectificati,
 efficacioresque. Saliva virilis muliebri
 est magis saponacea, minusque mucosa,
 bilis masculina foeminina acrior, et vrina
 virilis muliebri oleosior, saturatioorque.

§. 6.

Solidis, fluidisque corporis virilis par-
 tibus sic constitutis, sponte cuius patet,
 illud functiones corporeas omnes alacrius,
 meliusque peragere, melius citiusque in-
 gesta digerere, et minus ob nimiam in-
 primis viis moram corrumpere, ac assimi-
 latione, et in genere omnibus corporis
 functionibus melius perfungi debere, ac
 quidem muliebri corpus valet. Hinc
 etiam,

etiam, nec non ob maiorem corporis vim ac molem viri melius appetunt, citiusque esuriunt, et sitiunt, ac plus alimenterum assumunt, quam feminae. Quum etiam humores masculi spissiores, et minus aquosi sint muliebribus, hinc siccitas in corpore virili praedominatur, unde et viri excretiones serofas magis exiguas habent, quam mulieres, ex. gr. minus per urinam, minus per sputa, minus per nares, minus per sudorem excernunt, ac feminae quidem solent, et faeces aluinas muliebribus compactiores, et sicciores deponunt. Pulsus arteriosus in corpore virili ob maiorem vasorum tonum et actionem in fluida; horumque maiorem in illa reactionem durior, fortiorque est muliebri, omnesque functiones corporeas in genere sexus virilis alacrius peragit, quam muliebris.

§. 7.

Haecce virilis constitutio a vitae genere virorum neutiquam debilitatur, ac infringitur, imo exinde nouum capit robur, et in dies stabilitur, ac firmatur. Fere omnia enim negotia, muneraque, quibus viri funguntur vti, agricultura, nauigatio, militia, fabrica quaeuis, mercatura, etc. et quibus victum quaerunt, multis laboribus, imo et periculis eos quotidie exponunt, sic autem eorum corpus in dies magis magisque indurant, roborant, omniumque laborum, et aerumnarum patientius reddunt, quocirca tam ob constitutionem corporis natiuam, quam vitae genus ipsum sexus virilis muliebri robustior euasit, ideoque merito potior appellatur.

Habitus

Habitus muliebris.

§. 8.

Plane contrarie sese habent omnia in corpore muliebri. Minus enim, debilius, laxius, mollius, teneriusque est corpore masculino, ossa habet virilibus debiliora, spongiosora, graciliora, ac minus compacta, debiliusque inter sese articulata: Musculi muliebres virilibus, minores, debiliores, teneriores, ac minus torosi reperiuntur, quapropter et vires sexus sequioris musculares multo magis exiguae sunt illis, quas viri exserere valent. Hinc et laborum, et exercitiorum corporeorum quorumvis sexus muliebris virili longe impatientior euasit, citiusque ab illis defatigatur, ac iste quidem solet. Eiusdem conditionis sunt etiam tela cellulosa, omniaque viscera, quae
 ex

ex illa conficiuntur, quippe quae virilibus laxiora, teneriora ac debiliora existunt.

§. 9.

Humores ab organis talibus praeparatos male mixtos, subactosque, neque valde coctos, hinc inertes, valde dilutor, aquofosque, ac vappidos oportet esse, praesertim quandoquidem humiditas in corpore muliebri praedominatur, copiosioresque ideo mulieribus sunt omnes excretiones ferofi, quam viris, unde et omnibus mulierum humoribus plus partium aquosarum, minus specificarum, quae naturam essentiamque cuiusque humoris constitunt, inesse oportet, quod in corpore virili plane contrario modo sese habet. Hinc sanguis muliebris tenuior, et aquosior virili reperitur, minoremque cruoris, maiorem vero feri copiam continet,

net, nec non e vena extractus placen-
tam, eamque non tam firmam, et com-
pactam, qualem in sanguine masculino ob-
feruamus, ferius format, qua facta fe-
rum infulam circumdans tam limpidum
non est, quale in sanguine virili inueni-
mus, sed potius subrubellum et muco-
sum apparet, et quoad copiam cruorem
longe superat, quum sanguini muliebri
plus inest feri, minus cruoris, quod in
sanguine virili contrarie sese habet. Eius-
dem indolis sunt etiam omnes e sanguine
secreti humores, salua muliebris virili
est mucosior, aquosior, bilis dilutior, et
inertior, et vrina limpidior, crudior, et
magis spumescens.

§. 10.

Quomodo corpus taliter constitutum
omnibus suis functionibus perfungatur,
facile

facile cuius patet. Solida debilia, fluidaque inertia omnia sua munera non possunt non lente et aegre peragere. Lentius mulieres digerunt, quam viri, unde ingesta quaeuis in primis mulierum viis diutius morantur, indeque corruptioni qualicunque magis obnoxia sunt, quam in corpore virili. Hinc ob lentio-rem digestionem minor semper foeminis est appetitus, quam viris, illaeque his ferius esuriunt, ac sitiunt, minusque etiam singulis vicibus ingerunt, ac viri solent. Pulsus arteriarum muliebris ob laxiorem totius corporis habitum, humoresque virilibus tenuiores, celer quidem sed mollis et parvus obseruatur, omnesque functiones corporeas segnius, aegriusque peragit foemina, quam vir.

§. II.

Talis est habitus corporis foeminini, quem insuper indies magis stabilit, firmitaque vitae genus mulierum. Non enim, vti viri solent, duris laboribus ac corporis exercitiis deditae, multisque periculis, et omnibus coeli iniuriis obnoxiae indies corpus indurant, vitam degentes exercitatum, ac duram, sed potius domi ab omnibus hisce laboribus, rerumque discriminibus plane immunes, rem gerunt familiarem, aut aliam prolem curant, nisi plane imis inhaerentes penetralibus, sedi affixae sedentariam quandam nauant operam muliebrem, locomotiuitate quasi carentes. Necessario igitur sexus muliebris virili debilior, infirmiorque euasit, et merito sequior appellatur.

Quan-

Quamquam autem robore corporis mulieres viris adeo cedant, ideo tamen morbosae appellari non merentur, summo opere enim cum earum destinatione congruit haecce infirmitas. Non enim duris laboribus subeundis destinatae fuere, quos ut sustinerent, corpore perquam robusto indigniffent, sed potius tecto, reique familiari addictae sunt, quibus rite administrandis et debile ac infirmum sufficit corpus, ac par est. Insuper etiam menstruatio, grauiditas, partus, puerperium et lactatio necessario corpus requirunt molle, flexile, extensile, et spongiosum, quod facile, et sine magna molestia gravidum intumesceret; et foetum enixum rursus detumesceret, quod phaenomenon singulis quoque mensibus menstruatio repraesentat, quum paucos ante ipsam dies totus mulierum habitus externus adeo

turgeat, ipsa peracta mox subsidens, ad-
 quae negotia corpus virile strictum ac
 firmum aptum non fuisse, cuius patet.

Licet etiam humores muliebres virili-
 bus haud dubie sint aquosiores dilutiores,
 hinc inertiores, et vappidiores, ideo ta-
 men morboſi vocari minime merentur,
 vtpote tales existentes, quales natura
 muliebris requirit. Humores enim soli-
 dis corporis partibus loco stimuli inter-
 viunt, ipsas in motus vitales necessarios
 cientis, quod si hoc praestant, morboſi
 haud sunt; ipsosque hocce officio in cor-
 pore muliebri rite perfungi, nemo infi-
 cias ibit. Insuper et corpus foemineum
 vtpote masculo debilius, infirmius nec
 non ob structuram teneriorem mobilius,
 irritabiliusque, tam fortibus haud eguit
 stimulis, ac irritamentis, qualibus corpori
 masculo

masculo robustiori et firmiori opus fuit, sed a longe magis exiguis, debilioribusque stimulis in motus cietur sufficientes, quocirca humores muliebres nonnisi respectu virilium, minime vero absolute inertes, ac vappidi vocari merentur, omninoque humores masculi corpori muliebri haud inferuissent, vtpote pro illo iusto acriores, idque potius turbantes, et in motus potius nimios quam sufficientes stimulant.

*De morborum forma, et materie
generatim.*

§. 12.

Iam sexus vtriusque, quoad statum sanum, delineatione praemissa, vnde differentia sanitatis illius, ac diuersitas physiologica patet, mox ad scopum meum

B 3

acce-

accedam, duabus eum absoluturus sectionibus, pro duplici, quo morbi considerari possunt, respectu, forma nempe, et materie, de quibus vero antea generaliter paucis agendum erit.

Forma cuiusvis morbi nil aliud est, nisi modificatio, quam materia morbosa in corpore aegro ab huius conditione praesente, quando illud inuasit, patitur, aut, si corpus viuum, consideras, reactio naturae medicatricis, viriumque vitalium in materiem morbosam corpus ingressam, aut in ipso natam, ipsumque nunc turbantem, materia vero ipsa substantia morbosa corpus ingressa, aut in corpore nata, quae illud iam turbat, et in motus inordinatos ciet. Hinc sponte patet formam morbi non a materie morbosa, sed a corpore aegro pendere, ideoque materies morbo-

morboſas eaſdem in corporibus diuerſis
 diuerſam plane formam aſſumere poſſe,
 ac oportere, contra vero accidere poſſe,
 vt materiae diuerſae in diuerſis corpori-
 bus eandem induant formam, quum fa-
 cile contingere poſſit, vt diuerſae plane
 materies morboſae in diuerſis corporibus
 eandem patiantur modificationem. Hinc
 patet, morbos eadem forma praeditos non
 ideo eandem quoque agnoſcere materiam,
 et diuerſam prae ſe gerentes formam ſaepe
 eandem habere poſſe materiam. Quo-
 niam vero in omnibus aegris non mate-
 riam, ſed formam tantum, morbi videre
 poſſumus, quum turbae tantum a mate-
 ria corpus aegrum irritante, et in motus
 morboſos ciente oriundae in conſpectum
 ſeſe dent, materia ipſa ſenſus noſtros
 effugiente, hanc ipſam ratiocinio, ex con-
 ſideratione cauſarum morbi praegreſſarum,

ex aegri constitutione, vitae genere, corporis habitu, sexu, aetate etc., eruere, periti est medici, cui disquisitioni saepe consideratio formae ipsius aliquid lucis affundet, quum negari nequeat, materies morbosas nonnullas certam adamare formam, eamque plerumque induere, pro corporis aegri diuersitate tantum plus minusue modificatam, verumtamen nihilominus semper eandem.

Dum igitur natura medicatrix ope virium vitalium materiam morbosam quamcunque e corpore eiicere, aut ab eo propellere, et arcere tentat, conspicuus oritur conflictus inter vires vitales, ac materiam illam morbosam, qui formam morbi exhibet. Quicquid etiam in morbis fit conspicuum, symptoma, seu signum est morbi, vnde rursus patet, nil nisi formam

mam

mam morbi nos videre, et symptomata
 mera nil docere, quum in morbis mate-
 rialiter diuersis eadem, in iisdem diuersa
 esse queant, pro eadem, vel diuersa cor-
 porum aegrorum inter sese conditione,
 ideoque medicum peritum non symptomata
 tantum, sed et circumstantias supra alla-
 tas respicere oportere, vt de natura morbi
 materiali certior fiat. Omnis enim me-
 dendi ratio eo tendit, vt materia tolla-
 tur, vel ex corpore expellatur, quo facto,
 conflictus ille naturam inter et materiam
 forma nempe mox cessat. Contra hanc
 enim pugnare nil aliud est, nisi sympto-
 maticae tantum curare, quod si et prospero
 gauderet successu, nil aliud exinde seque-
 retur, nisi quod materia morbosa aliam
 indueret formam, etsi omnem curam
 symptomaticam e foro medico abigere mi-
 nime velim, probe conuictus, saepissime

medicum symptomatibus quam maxime
 urgentibus mederi oportere, imo etiam,
 donec hoc praestiterit, curam materia-
 lem, therapeuticam omittere, et multum
 semper profecisse, si morbo cuidam mala
 atque periculosa indutum forma aliam
 meliorem indiderit. Quandoquidem igitur
 natura sic cum materia morbosa pug-
 nat, eamque e corpore aegro eiicere, vel
 ab eo propellere et arcere tentat, per-
 quam apte Vir immortalis, Prosper Al-
 pinus corpus aegrum cum castello, vires
 vitales cum praesidio illi imposito, mate-
 riam vero morbosam cum hoste illud ob-
 fidente comparavit, qua comparatione
 nulla plane alia est iustior. Conflictus
 hinc oriundus est forma morbi. Licet
 igitur idem hostis arces vero diuer-
 sas aggrediatur, diuersimode hae sese de-
 fendunt, et diuersi hostes eandem ar-
 cem

cem adorti diuersam inferent oppugna-
tionem.

§. 13.

Quicumque igitur morbus formam ha-
bet, et materiem, omnesque suae causae
sunt vel formales, vel materiales. An-
non vero quandoque altera vtra abesse et
nihilominus morbus existere potest? Anne
dari possunt morbi sine forma, anne sine
materia?

Quantum ad formam attinet, hanc
nunquam abesse posse existimo. Nonne
a materia morbosa turbae quaedam in cor-
pore, quod inuasit, excitantur, quae tur-
bae nil aliud sunt, nisi conflictus naturam
inter morbosamque materiem? Hicce vero
conflictus est forma morbi. Equidem haud
nego, quam plurimos annos materies mor-
bosas in corpore latere posse, et tamen
sanitate

fanitati ne minimum quidem inferre dam-
 num, quam diu vero sic quiescunt, dor-
 miunt quasi, tam diu in corpus non
 agunt, nullas in eo turbas excitant, nul-
 lumque igitur morbum faciunt, ita vt, li-
 cet materies quaedam morbosa corpori in-
 haereat, non ideo tamen morbus sine
 forma exinde oriatur, quum plane nul-
 lus adsit. Sic ex. gr. aliquis fanitate gau-
 dens quam maxime incorrupta, firmaque,
 vomicas, scirrhos, obstructions, aliaue
 vitia haud exigui momenti in visceribus
 nobilioribus, imo vitalibus per longam
 saepe annorum seriem secum ferre potest,
 quorum ne minimam quidem habet suspi-
 cionem, prosperrima semper et inconcussa
 vicens secunda valetudine, donec tandem
 longe alio occumbat morbo. Haud dubie
 tali corpori materies quaedam morbosa in-
 haesit, quae vero illud minime turbauit,
 neque

neque ad reactionem in semet ipsam irritauit, et sanitati illius nullum inferens damnum nullum produxit morbum. At tamen magna semper erit quaestio, an non exstiterit, quod nemo viderit, an ideo nullus affuerit morbus, quoniam eum nemo animaduernerit. Sufficit enim, vt aeger, si ista vitia, licet occulta, non habuisset, adhuc maiore, ac firmiore viguisset sanitate, vt ipsum hoc detrimentum pro morbo haberi possit, licet talis morbus in sensus non cadat. Materies talis morbi vitium est illud occultum, et forma detrimentum hocce sanitatis. Quando igitur materies quaedam morbosa corpori inhaeret, tum aut in corpus agit, morbumque producit, qui certe forma haud caret, quum materies corpus in reactionem in sese irritet, turbasque moueat, quae turbae, ac naturae reactio formam, exhibent,

exhibent, aut quiescit, tumque in corpus haud agit, nullumque producit morbum, quocirca omnes morbos formam habere censeo.

Difficilior est quaestio circa materiem morbi, anne morbus quidam existere possit sine materia. Quod saepe nullam videamus, minime probat, plane nullam adesse, quam multa enim existunt, quae haud videmus, quorum ne minimam habemus suspicionem, Interim tamen impossibile haud videtur, morbos materia carere. Omnino omnes morbi, sic dicti chirurgici, uti febres a vulneribus, contusionibus, fracturis, luxationibus, amputationibus, etc. oriundae non a materie quadam morbosa sed ab irritamento externo oriuntur, quo sublato, tollitur quoque morbus. Saepe quidem materies quae-

quaedam morbofa corpori inhaeret, quie-
 fcit vero, donec tali occasione expergefiat,
 et tum morbum huncce chirurgicum au-
 get, faepe etiam vis, quae morbum
 huncce chirurgicum fecit, dum viscus
 quoddam ex. gr. pulmones, hepar; etc.
 fiue per confenfum, fiue per commotio-
 nem continuatam laedit, ac inflammat,
 materiam dat morbi, vti ex. gr. fordes
 biliofas, peripneumoniam, etc. quae mor-
 bum primarium chirurgicum auget, et
 expelli omnino debet, veruntamen haecce
 materies morbofae morbum non produxe-
 runt ab irritamento externo oriundo, fed tan-
 tum grauiorem reddiderunt, et faluis lae-
 fione chirurgica, morboque inde oriundo
 abefse poffunt, quocirca omnes morbos
 chirurgicos fine materie efse cenfeo, il-
 lud enim augmentum ab hacce materia
 accessoria oriundum non laefioni externae,
 fed

sed materiae adscribendum est; ita ut
 quasi duo morbi considerari potest talis
 casus, alter chirurgicus ab irritamento
 externo chirurgico, alter accessorius, in-
 ternus ab materie interna vel antea iam
 existente, at nunc expergefacta, vel
 modo nata oriundus. Hancce enim mate-
 riam a laesione chirurgica immediate
 non oriri, hinc probatur, quod eadem
 laesio chirurgica in diuersis corporibus
 saepe nulla, saepe diuersis talibus mate-
 riis morboris accessoriis sit stipata, mor-
 bum primarium augentibus. Eadem quo-
 que ratio est affectuum spasticorum, et
 conuulsiuorum in corporibus valde irri-
 tabilibus, hypochondriacis, ac hysteri-
 cis, ab leuissimis irritamentis externis vel in-
 ternis oriundorum, quos licet materia
 quaedam morbosa intus haerens augeat,
 eos tamen minime produxit, sed tantum
 effectum

effectum irritamenti illius auxit. Heic ergo eadem valere quae de morbis chirurgicis dicta fuere, facile patet, quocirca haud impossibile videtur, morbos sine materie dari posse.

Formae morborum.

§. 14.

Praecipuae, quas morbi induunt, formae sunt febris, status nervosus, typus, decursus, locus quem occupant, et via, qua e corpore expelluntur materiae morbosae, si morbus cum materia fuit. Quum enim eadem materiae morbosae in diuersis corporibus semper eandem harum formarum minime induant, huius diuersitatis ratio potius in corpore aegro, quam in materiis ipsis sita, ideoque formis annumeranda videtur, licet haud negem non-

C

nullas

nullas dari materies morbosas, quandam certam prae ceteris adamantes formam, eamque in omnibus corporibus induere solitas, quae vero vtpote merae a communi regula exceptiones illam abrogare minime valent.

§. 15.

Febrem ideo formis morborum, non autem materiis annumero, quod nulla materia morbosa febrilis κατ' ἐξοχην existat, imo omnes materiae morbosae modo febrem faciant, modo nullam et eaedem modo sint febriles, modo non febriles, quocirca causa praesentiae vel absentiae febris in aegri singulari ac individuali constitutione potius, quam in ipsius materiae natura quaerenda mihi videtur. Nonne enim ex. gr. eaedem plane fordes gastricae modo febrem excitant, modo nullam,

nullam, nonne vermes intestinales, hunc illumue febricitare faciunt, alium minime faciunt? Innumera exempla afferre possem, nisi haecce sufficerent.

Quid autem re vera sit febris, multum fuit disputatum, vt merito dictum fuerit, febrem facilius sanari, quam definiri. Haud longe autem a vero aberrare credo, si definitionem ab illo symptomate, quod in nulla non adest febre, pulsum puta, desumam. Atqui pulsus febrilis haud dubie semper aliquid spastici habet, eo minus, quo magis exigua est febris, eo plus, quo vehementior ea. Nonne igitur febris vocari posset affectio spastica systematis circulatorii, siue spasmus circulationis? Etenim cetera omnia symptomata febrilia, vti frigus, horror, horripilatio, calor, etc. omniaque, quae

vulgo in febris definitionem recipi solent, salua febre modo adfunt, modo absunt, nihiloque minus aeger febricitat, imo vicissim calere, frigere, horripilare potest, neque tamen ideo febre est correptus, quocirca ea ad febris essentiam pertinere mihi quidem non videntur. Nunquam vero pulsus deest plus minusue, spasticus, ex quo febris praesentia innotescere potest, licet omnia illa symptomata mere accidentalialia desint.

Quicumque vero status spasticus ab irritamento quodam propriaque partis spasmus affectae et ab illo irritamento irritatae irritabilitate oritur, irritamentum vero aut est materia morbosa corpori inhaerens, aut aliud quid, ex. gr. laesio externa, animi affectus, in genere omne, quod corpus viuum, aut partem eius
quandam

quandam irritare, et sic in motus inordinatos cedere valet, id fiat vel idiopathice, vel sympathice. Quo ergo irritabilior erit quaecumque pars; eo magis quoduis irritamentum eam afficiet, eo magis ea affectibus spasticis, ergo et febri erit obnoxia. Vnde vero irritabilitas nimia oritur? Haud facile hoc dici potest, liceat tamen, hypothesein quandam proferre. Semper irritabilitas cum debilitate pari incedit passu, ut, quo debilior quis est; eo etiam sit irritabilior. Profecto enim vir robustus et sanus ex. gr. durus arator iusto irritabilior non est, sed potius homines luxuriosi, vitaeque effoeminati deside ac molli irritabilitate nimia laborant. Quandoquidem igitur irritabilitas ac debilitas semper iunctim pari incedunt passu, quandoquidem illa hanc semper comitatur, ut una cum ipsa increseat, et decreseat, ita

ut, si summum attingit fastigium debilitas,
 etiam ad summum elata irritabilitas aut
 conuulsionibus occidat, aut illam ulterius
 incrementem sequi ulterius haud potens
 utpote iam penitus fracta et consumpta,
 in oppositum abeat vitium in stuporem,
 quum haecce vis vitalis nimis intensa,
 ni ipsa hac nimia intensione occidat, de-
 mum plane consumi, ac frangi debeat,
 hinc vtrumque hocce vitium, debilitas et
 irritabilitas nimia easdem causas agnoscere
 videntur, ni, quod interdum euenire
 potest, ipsae causae debilitantes vna vim
 quandam exferant narcoticam omnemque
 irritabilitatem vna cum aegri viribus
 prosteruant. Quo enim debilior quis est,
 ni causae debilitantes eum quoque stupe-
 fecerint, eo magis ac fortius ab omnibus
 impressionibus externis afficietur, uti ex.
 gr. verbera debilem quemdam fortius
 afficien

afficient quam robustum. Quum igitur irritabilitas et debilitas easdem semper agnoscant causas, et modo allata conditione sola excepta semper pari incedant passu, imo illa hanc ob rationem supra allatam semper sequatur, hinc sexum debiliorem vna et altero irritabiliorem esse oportet, magisque in febres propendere. Hancce vero partem haud dubie sexus tuetur muliebris, qui ergo virili febrilior vocari potest, quod et quotidiana confirmat experientia, quum mulieres longe citius ac fortius a quibusuis febricitent irritamentis, ac viri quidem solent.

§. 16.

Valde affinis febri est status neruofus, quem etiam formis morborum annumero. Eadem enim materies morbosa modo symptomata producit, neruosa, modo nulla,

et diuersae plane materiae morbosae saepe quoad huncce statum neruofum perinde sese habent, ita vt potius in corpore aegro, quam in materia morbofa causa illius sita mihi videatur. Fere nullus etiam, modo fit paullo grauior, morbus symptomatibus neruosis plane caret, quem tamen ideo neruofum nemo vocat. Quodnam ergo illud est symptoma, quod si adsit, morbum neruofum reddat, si absit, non reddat? Aut quot, qualiaue adesse debent symptomata neruosa, vt morbus neruofus dici mereatur? Deliria, tremores, conuulsiones, spafmi, anxietates, horripilationes, etc. innumeraque alia symptomata neruosa maiore minoreue intensione, et quantitate in quam plurimis obseruantur morbis, quos tamen neruosis nemo annumerat. Ast, dicat mihi quis, non maior numerus vel intensio symptomatum

matum

matum neruoforum morbum reddit neruo-
 fum, fed vt morbus neruofus dici merea-
 tur, oportet fymptomata eum concomitan-
 tia neruofa caufae illius haud proportionata
 eaque longe maiora, eam fuperare, ita vt
 eadem caufa alias talia producere non fo-
 leat. Valde abfurda eft haecce definitio.
 Sub illa caufa nil nifi materies morbi, caufa
 nempe materialis intelligi potest. Sin igitur
 fymptomata neruofa ei non proportio-
 nata, eam longe fuperant, vt a leuiore
 tali caufa tot, tamque grauia oriri neque-
 ant fymptomata neruofa, fponde patet,
 non ab hacce caufa ea proficifci, fed aliam
 agnofcere debere originem, id quod ex-
 inde probatur quod eadem etiam caufa
 alias in aliis corporibus talia fymptomata
 producere haud folet. An enim effectus
 caufa maior potest effe? Quum igitur
 caufa eadem materialis in diuerfis corpo-

ribus quoad statum neruofum diuerfimode
 sese habeat, quum etiam status neruo-
 sus effectus sit causa illa materiali maior,
 quandoquidem morbus neruofus non vo-
 catur, quando irritamentum tam vehe-
 mens est, vt ob hancce ipsam vehemen-
 tiam symptomata neruofa necessario de-
 beat producere, sed tantum, quando tam
 leue est, vt in aliis corporibus tales ef-
 fectus producere haud soleat, vtpote sese
 ipsa maiores, hinc sponte patet, causam
 status neruosi non in causa materiali sitam
 esse. Porro, vti supra vidimus, non sin-
 gulares quaedam et specifica materiae
 morbosae prae ceteris priuilegium habent,
 statum neruofum inducendi, sed quotquot
 sunt, modo symptomata neruofa, modo
 nulla producunt et eadem saepissime quo-
 ad ea diuerfimode sese habent. An igitur
 indoles neruofa morborum a materiis
 pendet

pendet morboſis? Omnino, ſi hoc ſic ſeſe haberet, tum omnes morbi eiusdem materiei neruoſi euadere deberent, aut nulli, et intelligi nequiret, cur morbi vnus eiusdemque materiei modo neruoſi ſint, modo non ſint. Eiecta etiam materie, ideo tamen ſtatus neruoſus ablatus haud eſt, id quod tamen contingere oporteret, ſi illa hanc produxiſſet, ceſſante enim cauſa, ceſſat effectus, et ablato irritamento, ceſſant etiam irritatio, huiusque ſequelae. Inſuper et exinde patet, ſtatum neruoſum a materia ipſa non pendere, quod remedia hanc tollentia illum minime auferant, ſed materia abacta contra illum remedia requirantur ſic dicta neruina, quorum vis potius in eo conſiſtit, vt ſyſtemati neruoſo priſtinum reddant robur, quam vt materiam quandam e corpore expellant. Quamnam enim excretio.

cretionem ex. gr. Cortex Peruvianus, praestantissimum remedium neruinum mouet? Ex hisce omnibus rationibus satis superque patet statum neruofum a materia morbosa minime pendere.

Potius ergo causa status neruosi in aegro, quam in materia morbosa quaerenda est, et heic multum lucis mox affert consideratio constitutionis eorum corporum, quae morbis neruosis praecipue laborare solent. Profecto ii tantum morbis corripuntur neruosis, qui iam antea systemate neruoso tam mobili ac irritabili, vnaque debili laborauere, vt ab exiguis, leuioribusque irritamentis mox in turbas coniiicerentur solito maiores, motusque paterentur neruorum tam vehementes, quantos irritamentum illud tam leue, ac tam exiguum minime produxisset,

set,

fet, ni nimia haecce systematis neruosi
 debilitas ac irritabilitas ipsos ad hancce
 nimiam reactionem praedisposuisset. Hinc
 homines praesertim luxuriosi, mollique ac
 deside effoeminati vita, aut studiis, vigi-
 liis, vitae sedentariae, veneri, baccho
 omnibusque aliis causis debilitantibus ni-
 mis dediti, qui sic robur, firmamque
 suam sanitatem infregerunt, aut etiam
 corpus tam hypochondriacum et hysteri-
 cum haereditario more acquisuerunt, ii
 tantum morbis laborare solent neruosis.
 Sane enim rusticus, durusque arator vi-
 ctum duro labore quaerens, et mo-
 dico vtens victu, neque vigiliis, ne-
 que luxuriei, mollitiei, neque veneri,
 bacchoe nimis deditus, nae is ne-
 que sanus iusto irritabilior est, neque
 aegrotantis morbi statum induunt neruo-
 sum. Hinc morbos neruosos tantum quo-
 ad

ad formam non autem quoad materiem morbos sui generis esse censeo, in quibus ergo curatio non tantum in eo verfatur, vt irritamentum tollatur, sed et vt remediis neruini systemati neruoso pristinum reddatur robur, imo saepe irritamentum, ac materies morbosa ipsa adeo sint exigua, vt causa morbi potius in forma, quam in materia sita sit, quo in casu in curatione magis in formam, quam in materiam attendendum est, tunc enim sufficit, vt nimia tollatur irritabilitas, ac systema roboretur neruosum, quo facto aeger est sanatus, tunc enim irritamentum ac materies illum haud amplius adeo afficient, vti antea consueverant.

His praemissis facile quiuis videre potest, quinam sexus statui neruoso altero
 magis

magis sit obnoxius, eadem enim de hacce morborum forma valere, quae supra de febre diximus, cuius sponte patet, quum febris ipsa nil aliud sit, nisi spasmus, ideoque affectus quidam neruofus. Quum enim debilitas ac irritabilitas semper pari incedant passu, vt quo debilior sit quis, vna eo sit irritabilior, et vice versa, hinc sexum debiliorem vna et irritabiliorem et altero magis statui neruoso obnoxium sequitur esse, quocirca sexum muliebrem has partes tueri sponte patet. Hoc et coram aegrorum lectulis quotidiana confirmat experientia, quum saepius mulieres quam viros morbis neruosis laborare videamus, et mulieres quoque sanae a quibusuis irritamentis citius ac fortius inturbas coniiciantur neruofas, quam viri, quocirca sexum muliebrem virili propensio-riorem in statum neruofum esse, censeo.

§. 17.

Alia morborum forma est typus, qui nil aliud est, nisi ordo, et quasi rhythmus, quo suos faciunt impetus. An enim morbus continuus sit, vel remittens, intermittensue, an fixo aut vago modo remittat, vel intermittat, anticipet, vel postponat, hoc minime a materia morbi, pendere mihi videtur, quum eadem saepe materiae diuersum induant typum, saepissime in typo plane a sese aberrant, et contra saepe morbi materialiter diuersi quoad typum perinde sese habeant. Quoniam vero continuitatis, remissionis, intermissionisque morborum causae adhuc dum nobis latent, et ego, pro virium exiguitate, tantas discutere tenebras haud valens, iis detegendis, scopoque meo adhibendis plane supersedeo, et eas sicco praetereo pede.

Magis

Magis autem in aperto res est quoad
 typum morborum fixum aut vagum, cur
 nempe morbi omnes remittentes ac inter-
 mittentes id fixo aut vago faciant modo.
 Equidem experientia quotidiana docet
 morbos quosuis, labefcente iam vita, vi-
 ribusque ægri iam prostratis, ac morte
 appropinquante, inordinatos, anomalos,
 ac irregulares, vagosque euadere, quan-
 topere antea fuerint fixi, ac regulares.
 Euidenter hoc in arthritide videmus, quae
 saepe per tot annos regulares, ac fixos
 excitat paroxysmos, at demum, proue-
 ctiore iam ægri aetate, ac fractis eius
 viribus vaga, irregularis, et anomala
 fieri solet, quapropter tum arthritidis in-
 congrua vocatur, quando nempe natura
 iam fracta, ac debilitata regulares paroxy-
 mos producere, materiamque morbosam
 sensim coaceruatam stasis temporibus ex

D

toto

toto corpore metastatice in partem quamdam deponere haud amplius valet. Morbus enim visibilis nil aliud est nisi ista naturae reactio in materiem morbosam, aliamue irritationem eam turbantem, siue molimen naturae medicatricis, materia morbosa ipsa sensus nostros effugiente. Simulac igitur vires vitales deficere incipiunt, simul et reactio illa naturae medicatricis in materiem morbi etiam deficiet, diminuetur, ac irregularis, vaga, et anomala euadet, quomodo enim fractis iam viribus natura medicatrix regulari defensione hostem propellere, arcere, eiusque impetus sustinere amplius valet, quum arx munita, quam defendit, corpus putamiam passim labefacta ac diruta praesidium sibi impositum antea solitam regularem defensionem vtpote iam impossibilem omittere, ac aliam irregularem debilem

bilemque suscipere cogat? Quum ergo, quo magis sibi adhuc constant vires, fere eo regularior, magisque typicus sit morbus, contra eo inordinatior, ac irregularior, et magis vagus euadat, quo magis iamiam vacillant aegri vires, nonne hinc concludi posset, sexus robustioris morbos magis typicos, ac regulariores, illos debilioris irregulariores, ac magis vagos esse debere? Mere hypothetica haecce dicta esse, libenter concedo, ideoque pro certis dare nolo.

§. 18.

Quoad decursum morborum acutum vel chronicum, haud facile est dictu, an vterque sexus inter sese differat, quum mares, foeminasque perinde acutis, chronicisque morbis laborare videamus. Nihilominus inquirendum tamen est, an

D 2

alteruter

alteruter sexus in alterutrum horum decursuum morborum prae altero magis inclinet, cui disquisitioni vitae generis sexus utriusque consideratio mox magnam affundit lucem. Vti enim viri ob vitae genus durum exercitatum, quod ipsos omnibus coeli iniuriis multisque periculis atrocibus et acutis exponit, morbis potius acutis sunt obnoxii, sic mulieres ob vitam tranquillam domesticam, imo saepe nimis sedentariam ab illis periculis coeli-que iniuriis tutae ac securae, plerumque tantum inter chronicas morborum potentias versantur, ideoque in chronicos praesertim inclinant morbos, quibus eas veterus quoque exponit, quem Gaubius merito sexcentarum in muliere aerumnarum auctorem vocavit. Omnes enim functiones, quibus hocce perfungitur viscus, chronicis potius, quam acutis morbis expositae

positae sunt, quocirca acutos morbos viris
 praefertim, chronicos vero mulieribus
 praecipue imminere existimo.

§. 19.

Praecipua vero morborum forma, ea-
 que omnium maximi momenti, est locus,
 in quem materies morbosa decumbit, et
 via, qua e corpore egreditur. Hoc re-
 spectu habemus morbos venofos, gastri-
 cos, exanthematicos, innumerosque alios,
 quot enim sunt corporis partes, tot for-
 mas locales morbus quiuis induere potest,
 et quot organa dantur excretoria, per to-
 tidem vias natura materias morbofas
 omnes euacuare potest. Quum enim eae-
 dem materiae morbofae non semper ean-
 dem harum formarum induant, contra
 vero diuersae saepenumero in eandem
 corporis partem decumbant, aut per ean-

dem viam e corpore exeant, hinc differentias haec formis tantum morborum annumero, easque minime a materie ipsa sed potius ab aegri constitutione pendere credo, licet haud negem, quasdam dari materies morbofas, certam quandam partem, vel certum quoddam emunctorium prae ceteris affectantes, vti ex. gr. venenum variolosum forma exanthematica per cutem exire amat, eamque igitur fere semper ingreditur viam. Haecce vero paucissima exempla, vtpote merae a communi regula exceptiones eam abrogare minime valent. Imo etiam illis morbis, qui certam quandam adamant formam localem, haecce tamen necessaria haud est, vt aliam induere nequeant, id quod idem illud exemplum supra allatum de variolis probat, quandoquidem haecce interdum absque eruptione exanthematica apparent,

et

et nihilo minus aegrum ab vltiore contagione aequè muniunt, ac si exanthematibus effloruissent. In genere tamen de forma morborum locali hoc valet, quod morbus quiuis semper partem ceteris debiliorem affectare, et in eam decumbere soleat. Sic, si quis ex. gr. debiles habet pulmones, sane is sibi ab omnibus inflammationum causis ac occasionibus, quae non locali modo aliam certam quandam inuadunt partem, sed vniuersaliter in totum agunt corpus, magnopere sibi caveat, quae certo certius peripneumonicum eum reddent, prae ceteris partibus pulmones aggressurae. Sic haemorrhoidariorum morbi omnes formam induere solent haemorrhoidalem, et, vt brevis sim, quo ceteris debilior pars est quaedam, eo magis omnes morbi, ommissis ceteris, eam affectabunt, dum aut re vera in eam

decumbunt, aut ad minimum eam consensua-
liter magis quam ceteras irritant, quum quo
debilior pars est quaedam, vna eo fit irrita-
bilior, ideoque ea, id fiat idiopathice, vel
sympathice, a quibusuis morbis omnium
maxime afficietur, quandoquidem illi in eam
vtpote ceteris debiliorem decumbere saepif-
sime solebunt, aut eam vtpote ceteris
irritabiliorem omnium maxime irritabunt.

Praecipua forma morborum localis est
venosa, quando nempe materies morbosa
sanguini, viisque circulationis ipsis inhae-
ret. Crises his morbis fiunt per cutem,
et per vias vrinarias, et si quandoque
criticae in ipsis obseruatae fuere diarrhoeae,
aliaeue excretiones, certo antea morbus
formam induerat gastricam, illamue, cui
excretio illa est propria. Quamdiu enim
morbus est venosus, tamdiu necessario ma-
teriam morbosam per propria sanguinis
emun-

emunctoria eliminari oportet, quae tantum sunt cutis, ac viae vrinariae, vtpote solae excretiones sanguinem immediate purgantes. Vt enim ex. gr. morbus venosus per aluum iudicetur, necessario antea eum oportet gastricum fieri, materia morbosa in primas delata vias, ni enim hoc fiat, omnia in tali morbo oborta alui profluvia mere symptomatica erunt. Saepe tamen accidit, morbum primario venosum deinceps vel ex propria sua natura, vel per medendi methodum gastricum fieri, aut aliam quoque induere formam, vnde frequentia criseum praesertim gastricarum aliarumque in morbis primario venosis hodierno praecipue tempore intelligi potest, quum methodus nostra salina intestina vna irritans, sicque affluxum in ipsa mouens, et debilitans formae gastricae adeo faueat. Pleraque miasmata et contagia hancce in-

D 5

duunt

duunt formam, vti variolae, morbilli, pestis etc., sponteque etiam patet, morbos omnes, in quibus sanguis peccat, id fiat primario, vel secundario, vti ex. gr. in febribus inflammatoriis, vel putridis indolenti habere venosam. Quum etiam febris sit spasmus circulationis ab irritamento productus, in morbis venosis ea est affectus idiopathicus, in ceteris omnibus consensualis.

His praemissis, sponte elucescit, morbum quemcunque tum demum venosum fieri, quando materies morbosa systemati circulatorio ipsi inhaereat, vel ibi orta, vel illinc delata, et, vt venosus per totum suum decursum maneat, nullam aliam partem systemate circulatorio debiliorem esse debere, alias enim materies morbosa minime per sudorem ac vrinam, vtpote

crises

crises morbis venosis proprias, euacuabitur, sed metastatice in illam decumbet partem. Facile est, exemplo id probare. Si quis vehementi refrigeratione transpirationem sibi metipsum suppresserit, mox febricitabit, materia enim perspirabilis retropulsa in sanguinem redundat, et febrem producit. Si iam aeger robustus est, nullamque partem habet ceteris debiliorem, materia morbosa in nullam decumbere poterit, sed in viis circulationis remanere cogetur. Nulla enim existit pars ceteris debilior, omnes quoad vires suas vitales proprias inter sese perfecto coniunctae sunt aequilibrio, licet ergo forsitan materies morbosa in quandam earum impetus faciat, omnes aequaliter et sufficienter resistere valebunt, et materia ibi remanere cogetur, vbi iam ab initio existit. Aeger ergo febre catarrhali simplici laborabit,

rabit, quae coctione facta per sudorem ac
 urinam iudicatur. Fac autem, partem
 quandam ceteris debiliorem eum habere,
 tum morbus venosus haud manebit, ne-
 que modo venoso, id est, per sudorem et
 urinam iudicabitur, sed metastasis in par-
 tem illam fiet ceteris debiliorem, mate-
 ria morbosa in eam decumbente, et aeger
 mox grauedine, vel rauedine, vel pe-
 ripneumonia notha, vel diarrhoea serosa,
 vel dysenteria catarrhali etc. laborabit,
 prouti vel nares, vel aspera arteria, vel
 pulmones, vel intestina etc. pars erunt
 illa, ceteris debilior. Hinc sponte patet,
 cur olim morbi venosi, omnium fuerint
 frequentissimi, ideoque methodus sudo-
 rifea tum adeo profuerit. Tunc enim
 corpora luxurie ac mollitie nondum fracta
 erant, ac effoeminata, sed potius duro
 labore ac victu modico et congruo vten-
 tia

tia in dies nouum acquirebant robur, et
 praesertim nulla pars prae ceteris debili-
 tabatur, vti nos ex. gr. baccho, gulae,
 veneri, somno, vitaeque saepe nimis se-
 dentariae iusto magis indulgentes robur
 viscerum praesertim abdominalium tan-
 topere infringimus, vnde tot nostrorum
 morborum formam gastricam adeo amant.
 Quanquam igitur illa subinde aegrotarent,
 in nullos tamen fere, nisi in morbos ve-
 nosos indicebant, (quum vitae genus eo-
 rum frugale ac naturae conueniens nul-
 lis aliis ipsa exponebat morbis, nisi illis,
 qui a coeli iniuriis, refrigeratione, labore
 nimis improbo, etc. oriri solent; quibus
 et hodie rustici nostri plerumque corripi
 solent, et qui omnes primario sunt ve-
 nosi, quum in nullam aliam agant partem,
 nisi in systema circulatorium at si pars quae-
 dam eo est debilior mox, in eam decum-
 bentes

bentes formam induunt aliam,) et illi morbi venosi nullam aliam assumebant formam, quum nulla pars systemate circulatorio debilior existeret, quaenam enim a vitae genere, quod illa gerebant, valde et ceteris magis debilitari potuisset? Hinc et hodie rustici quorum vita veterum vitae generi valde est similis, in morbos venosos magis inclinant quam urbium incolae, quorum vitae genus luxuriosum eos ad omnes alios potius quam ad morbos venosos praedisponit, ita ut, licet quandoque et urbium incolae morbis corripiantur venosis, isti tamen raro formam venosam per totum feruent decursum, quum vita urbana mollis, ac luxuriosa viscera praesertim abdominalia tantopere debilitauerit.

Quinam ergo sexus in morbos venosos altero sit pronior, facile patet. Profecto

sexus

sexus virilis formae morborum venosae magnopere fauet, tam ob maius suum robur, quam ob vitae genus durum, laboriosum, eum omnibus coeli iniuriis, refrigeriis, laboribus nimis improbis, etc. valde exponens, quae omnes potentiae morbificae morbos praesertim venosos producant. Mulieres contra corpore debiliore praeditae, et insuper vitam degentes domesticam, tranquillam in morbos venosos tantopere haud inclinant, earumque insuper viscera praesertim abdominalia a functionibus earum genitalibus, praecipue a grauiditate adeo debilitantur, vt potius in morbos gastricos mulieres inclinent, eamque formam omnes earum morbi, etsi antea venosi fuerint, induere, magnopere ament, quocirca viros praesertim in morbos venosos inclinare censeo.

Con.

Considerata nunc forma morborum venosa, quae sola vniuersalis dici meretur, quandoquidem systema circulatorium totum peruagatur corpus, et nulli alii nisi venosi morbi vniuersales dici merentur, sequuntur nunc formae morborum partiales, quas adesse in morbo quouis dicimus, si materies non sanguini admixta totum haud infecit corpus, neque per omnes eius partes circulat, sed potius in partem quamdam singularem decubuit. Harum formarum, quarum tot dari possunt, quot partes dantur corporis duas tantum praecipuas, exanthematicam et gastricam, vtpote omnium maxime memorabiles considerare, mihi mens est.

Exanthemata idcirco formis tantum morborum annumero, quod vnae, eademque materiae morbosae saepe ipsis stipatae sint, saepe vero careant, et diuersae quoad
ea

ea saepe perinde sese habeant, ideoque eorum causa potius in corpore aegro, quam in materia morbosa sita mihi videatur. Licet etiam quaedam dentur materiae morbosae ob specificam suam naturam formam exanthematicam plerumque induentes, haec tamen merae sunt a communi regula exceptiones. Imo et hisce exanthemata essentialia haud esse, saepius repetitae testantur observationes, plures hisce morbis revera correptos, ipsis tamen plane caruisse. Sic nonnulli febre laborant variolosa sine variolis, quae tamen ipsos ab ulteriori contagione aequè munit, ac si eruptionem exanthematicam passi fuissent. Hinc exanthemata nil aliud mihi videntur esse, nisi forma quaedam, quam quivis morbus sub quibusdam conditionibus assumere potest. Nullus enim morbus huc usque innotuit, qui exanthemata aut nunquam, aut sem-

E

per

per produxisset. Antea vero, quam ad scopum huius speciminis respectu huius formae accedam, explicare tentandum est, quid sit exanthema. Exanthema est efflorescentia quaedam cutanea, cutem vel tantum maculans, vel et in pustulas eleuans, a materie oriunda in cutem delata, aut iusto acriore, vel spissiore, quam ut, veluti materia perspirabilis insensibili modo per poros cutaneos exire possit, quocirca eos obstruit, ob moram acrior euadit, tumque eos irritat, ac inflammat, vnde suppuratio, vel separatio ac desquamatio epidermidis oritur. Haecce materia exanthematica ideo semper est excrementitia, et morbosa, et semper e corpore euacuari debet. Duplicis vero est naturae. Vel enim et in secunda valetudine per cutem, aut tum insensibili modo euacuari solet, uti ex. gr. materia perspirabilis, vel quaedam
dam

dam est materia aut in secunda valetudine
 haud existens, aut saltem, licet forsan
 adsit, haud per cutem exire solita. Si
 materia exanthematica ex earum est nu-
 mero, quae et in statu sano per cutem ex-
 cernuntur, omnesque generatim sub ma-
 teriae perspirabilis nomine comprehendun-
 tur, variae tum dari possunt causae, ex-
 cretionem hancce alias insensibilem nunc
 exanthematicam reddentes, vti ex. gr. cu-
 tis nimis densa, stipata, compacta, vel
 fordibus ac immunditie, obstructa, vel
 spasmō vndecunque oriundo occlusa, aut
 etiam materia ipsa nunc nimis spissa facta.
 Sic saepe ab irritamento gastrico, vnde
 fere omnes affectus spastici ac conuulsiui
 oriri solent, spasmus producitur cutaneus,
 materiam perspirabilem incarcerans, quae
 tum mora acrior euadit, porosque suos
 irritat, inflammat, exanthemata produ-

cit, mox euanida, simulac irritamentum illud sublatum est aut cessat, et cutis tum rursus peruia facta materiam hancce emittit. Hinc saepe, qui morbis gastricis laborare solent, plures, vno eodemque die patiuntur eruptiones exanthematicas, mox rursus euanidas, donec alia sequatur, prouti irritamentum illud modo cessat, modo redit. Talia exanthemata vtpote haud leuantia neque euanida nocentia, quum re vera materia morbofa haud retrocedat, critica non sunt, ideoque symptomatica vocantur. Alia prorsus est ratio exanthematum a materia quadam aut in statu sano haud existente, aut saltem per cutem exire haud solita oriundorum. Ad primam classem referuntur praesertim omnia miasmata specifica, vti ex. gr. variolae, morbilli etc., ad secundam vero ea exanthemata gastrica,

strica, quae haud a spasmo cutaneo ab irritamento gastrico aliove producto, sed a parte quadam ipsarum sordium gastricarum aliarumque acrimoniarum in sanguinem, indeque in cutem delata oriuntur. Haecce materiei morbosae pars vel ob propriam suam naturam cutem adamat, inque eam decumbit, vel ob medendi methodum incongruam, ex. gr. iusto calidiorum violenter sanguini impingitur, ac in cutem propellitur. In priori casu, nec non in prima classe, ad quam exanthemata pertinent specifica contagiosa, exanthemata haud dubie sunt critica, quorum eruptio leuationem affert, retrocessio nocet. Quoad primam classem, nemo inficias ibit, variolas, morbillos etc. exanthemata esse critica, de alterius vero classis priore parte fortasse haud omnes mecum consentient, dicentes in omnibus

morbis gastricis, aliisque, quorum materiae acrimonia quaedam est, alias per aliam viam quam per cutem egredi solita, nunquam exanthemata fieri, si per hancce viam, ex. gr. si gastricus fuerit morbus, per emetica ac purgantia fordes probe euacuentur. Quotidiana vero demonstrat experientia, in quam plurimis talibus morbis, licet excretiones, hisce morbis propriae fatis superque promoueantur, nihilo minus exanthemata prodire. Nonne hoc probat, partem quandam materiae morbosae ob suam naturam cutem amare, ac in eam decumbere, quanto-pere excretionem alias huicce materiae propriam promoueas? Igitur et haecce exanthemata quodammodo sunt critica, quandoquidem pars quaedam materiae morbosae per cutem expellitur, quam per aliam quamcunque viam euacuare nequeres,

res, ideoque promoueri, minime retro-
 pelli debent. Leuamen, quod afferunt,
 vel non afferunt, facile ostendit, cuius
 sint generis. Quando vero tantum per
 methodum nimis calidam exanthemata
 quasi exprimuntur, haecce critica haud
 esse, imo methodum frigidiorum proficere,
 modo per viam sibi propriam materia eua-
 cuetur, eruptionem minime leuare, ne-
 que retrocessionem nocere, per sese patet,
 et quotidiana confirmat experientia. Cu-
 iuscunque vero generis sit materia exan-
 thematica, semper ea sanguini antea in-
 haesit, alias enim in cutem, vtpote san-
 guinis folius emunctorium decumbere haud
 potuisset. Semper ergo exanthema mor-
 bum ponit venosum, et morbi venosi est
 quaedam metastasis cutanea. Sin enim in
 morbis ex. gr. gastricis exanthemata efflo-
 rescunt, mox duo oriuntur morbi, ga-

strophicus, et venosus, quorum posterior a parte materiei morbosae oritur, quae e primis viis in sanguinem delata in cutim decubuit, quocirca in nullis aliis nisi venosis morbis exanthemata oriri possunt, in illo enim exemplo non ab illa parte materiei morbosae, quae in primis remanet viis, sed ab illa, quae in sanguinem defertur, exanthema oritur.

Vndecunque vero exanthemata oriuntur, facile tamen quivis videt, duas ad eorum generationem requiri conditiones, nempe vt quaedam materia morbosa cuti inhaereat, et vt cutis ipsa illam insensibili modo haud emittat, sed retineat, id fiat vel ob nimiam materiae spissitudinem, vel ob nimiam cutis ipsius densitatem, immunditiemue, vel et ob spasmum cutaneum, vndecunque oriundum, idiopathi-

cu

cum, vti ex. gr. a materiae ipsius nimia acrimonia, siue consensualem aliud pro causa irritamentum agnoscentem. Quibus praemissis, facile iam est, ad scopum nostrum accedere, et differentiam sexus vtriusque quoad hancce morborum formam eruere. Omnino sexus virilis cutem densiorem, magis imperuiam, ac imperspirabiliorem quam sexus muliebris, habet, vnde necessario sequitur, quascunque materias in cutem virilem depositas aegrius per eam exire debere, ac quidem per cutem muliebrem, quocirca materies morbosa ibi haerens, et nonnisi difficulter exeuns libenter ibi iusto diutius remoratur, acrior euadit, irritat, inflammat, sicque in exanthemata efflorescit. Contra vero sequior sexus potiore irritabilior spasticis affectionibus, ideoque et spasms cutaneis illo magis obnoxius est. Hinc,

E 5

cum

cum exanthemata a materia quadam oriri videntur cuti inhaerente, quae insensibili modo per eam exire nequit, hoc in viris ob maiorem cutis densitatem, in foemina vero ob maiorem earum in spasmos procliuuitatem accidere videtur, quocirca vtrumque sexum in exanthemata perinde inclinare, et, quoad hancce morborum formam in causis tantum a sese differre, existimo.

Altera morborum forma localis haec consideranda, eaque valde memorabilis, nostrisque temporibus omnium longe frequentissima est gastrica, quippe cui ob vitam, quam degere solemus, mollem, luxuriosam, ac saepe nimis sedentariam magis quam ceteris omnibus fumus obnoxii. Hinc et morbi formaliter gastrici in vrbibus longe frequentiores sunt, quam
rure,

rure, quum vita vrbana luxuriosa ac molli,
 et medendi methodo hodierna, quam me-
 rito salinam vocare posses, in debilitandis
 visceribus abdominalibus nil est efficacius,
 in quae igitur vtpote partem ceteris de-
 biliorem plerasque materias morbosas de-
 cumbere, mirum haud est. Profecto
 enim methodus veterum sudorifera, qua
 hodie adhuc rustici passim vtuntur, licet
 male applicata fortasse methodo salina sit
 perniciosior, veruntamen totum corpus
 et praesertim intestina adeo non debilitat,
 neque eorum robur tantopere infringit,
 vti methodus nostra salina haud dubie
 perquam laudabilis, qua vero toties ab-
 vtimur. Hinc eo adducti sumus, vt li-
 cet fortasse veteres morbis materialiter ga-
 stricis perinde, ac nos, obnoxii fuerint,
 id quod tamen viuendi et medendi ratio
 eorum magnopere disuadet, nos tamen
 eos

eos quoad frequentiam morborum formaliter gastricorum longe superemus. Eam vero differentiam inter morbos materialiter gastricos et formaliter gastricos statuo, ut in illis materia morbosa peccans sit gastrici originis, uti bilis, vermes intestinales, pituita, quae licet sensim per totum sese extendat corpus, tamen semper primario in intestinis oritur etc., in his vero materia alia quaecunque, et vndecunque oriunda formam tantum induerit gastricam, dum in systema gastricum decubuit. Sic, si ex. gr. bilis vel quantitate peccans, vel qualitate morbum produxit gastricum, is mihi est materialiter gastricus, quum bilis sit succus gastricus, sin autem, ut exemplum adducam, aliquis exaestuans derepente refriguerit, et materia perspirabilis retenta ac retropulsa in intestina decubuerit, hinc diarrhoea vel

dyfen-

teria, vel colica orietur, quae vero quoad materiam est morbus rheumaticus, vel catarrhalis, minime vero gastricus, sed tantum quoad formam gastricus dici meretur. Neque enim haecce materia morbosa gastrici, sed catarrhalis est originis, neque necessario in intestina decumbere debuit, sed et salua natura catarrhali in aliam partem deponi potuisset, vti quotidie ab eadem causa materiali modo gravedines, modo anginas, modo tusses, catarrhosque, modo aliud quid, pro diversa, quam adit inuaditque parte oriri videmus, sed ideo tantum in intestina decubuit, quoniam haecce pars ceteris debilior fuerunt.

His praemissis, vnde patet debilitatem viscerum abdominalium praesertim ad morbos formaliter gastricos praedisponere,
 quum

quum materiae morbosae quaeuis partem ceteris debiliorem adire soleant, facile est dictu, quinam sexus prae altero in formam morborum gastricam inclinet, iste nempe, cuius viscera abdominalia respectu ceterarum corporis partium debiliora sunt illis alterius sexus. Hancce vero partem sexum muliebrem tueri, nemo mirabitur, consideraturus, quantopere viscera mulierum abdominalia a menstruatione, ac grauiditate, innumerisque harum functionum anomaliis necessario debilitentur, turbentur, imo laedantur, a quibus omnibus sexus masculinus plane est immunis, vnde mirum haud est, in tali corpore plerasque materias morbosas, vbicunque ortas, et vndecunque aduenientes viscera abdominalia, vtpote partem ceteris debiliorem, petere, sicque formam induere gastricam,

quo-

quocirca sexum muliebrem virili pronio-
rem in hancce formam esse, censeo.

Materiae morborum.

§. 20.

Plurimae dantur causae morborum
materiales, quibus vero omnibus enume-
randis, ac pertractandis nec spatium huius
speciminis, nec otium sufficit, quocirca
tantum frequentissimas, quae ideo etiam
omnium maximi sunt momenti, confide-
rabo, auspicator ab illis, quarum sedes
est sanguis ipse, quippe quem praecipue,
et primario alterant, eiusque turbant cra-
sin, et sic sanitatem euertunt.

Duae causae tales dantur materiales,
quas haud incongrue venosas dicere pos-
ses, diathesis nempe sanguinis inflamma-
toria, omnesque exinde oriundi morbi in-
flammatorii, et diathesis sanguinis putrida,
quique

quique exinde oriuntur morbi putridi. Diathesin enim humorum pituitosam, quum primario gastrici sit originis, ac nonnisi profectu temporis exinde sensim totam humorum massam occupet, in gastricorum morborum numero considerare mihi proposui.

Morbi inflammatorii.

§. 21.

Hac denominatione omnes comprehenduntur morbi, quorum symptomata pathognomonica sunt habitus corporis strictus, robustus, vires vitales auctae, vigor nimius omnium functionum, calor, solida robusta, fluida multa ac bene cocta, mixtaque, et ob magnam solidorum in ea actionem, propriam que in solida magnam reactionem, spissa, aquosis humorum particulis mox diffatis, et praesertim,

tim,

tim, vnde tota huiusce morborum clas-
 sis denominatio desumpta fuit, sanguis sic
 dictus inflammatorius. Iste nempe san-
 guis multum cruoris, paulumque feri con-
 tinet, ac valde coagulabilis est, ita vt e
 vena emissus mox in placentam et aquam
 limpidam, id quod probam secessionem
 denotat, secedat, et crusta sic dicta phlo-
 gistica, siue pleuritica obtegitur, in cuius
 naturam inquirere huius loci haud est.
 Generatim omnia horumce morborum in-
 flammatoriorum symptomata nil nisi robur
 vitale nimis auctum nimiamque virium
 vitalium actuositatem ostendunt, vnde
 mox patet, corpora sana, robusta, irrita-
 bilia, succosa praesertim in hosce morbos
 inclinare. Magna enim irritabilitas om-
 nino adesse debet, fac enim corpus esse
 sanum, robustum, ast parum irritabile,
 mox perspicias, tale a morbis inflamma-
 F toriis

toriis haud facile correptum fore, sed potius iners, tardum et frigidum esse, cuius omnes functiones lente peraguntur. Omnes enim functiones ope stimuli peraguntur, organa ipsis praefecta ad actuositatem irritantis ac excitantis, sin igitur corpus irritabile haud est, stimulus ille id haud multum afficiet. Hinc in corpore insensibili symptomata illa nimiae actuositatis in omnibus functionibus non deprehenduntur, hinc humores talis corporis et praesertim sanguis inflammatoriam non habent spissitudinem, ideoque praecipua morborum inflammatoriorum symptomata in tali corpore existere nequeunt. Interim tamen haecce irritabilitas, non a debilitate oritur, ita ut corpus iusto debilius omnibus impressionibus ac cuius impetui minus resistere valeat, sed ab iis mox valide afficiatur, et quasi concutiatur, sed
 licet

licet permagna sit, pari tamen incedit passu cum ceteris viribus vitalibus, quae contra in illo casu, vbi debilitas vna cum irritabilitate adest, plus minusue sunt prostratae. Haecce igitur sunt symptomatica morborum inflammatoriorum generalia, quae vero si quis iamiam in sese habet, is tamen nondum aegrotat, sed tantum ad morbos inflammatorios est praedispositus, a quibus certo certius corripietur, modo irritamentum aliquid ansam praebet, et cuius morbi omnes formam induent inflammatoriam, ni determinato alio quodam modo in sanguinem agunt, sed potius stimuli loco sunt.

§. 22.

Omnes morbi, ideoque et inflammatorii sunt vel vniuersales, vel partiales, sive topici, locales. Vnicus datur mor-

bus inflammatorius vniuersalis, scilicet febris inflammatoria, qua corpora corripuntur solent, quae modo supra dicto generatim in omnes morbos inflammatorios praedisposita sunt, neque partem quandam ceteris debiliorem habent, simulac irritamentum quoddam, cuiuscunque id sit naturae, accesserit, quod non in partem quandam solum, vel praecipue, sed in totum aequaliter agit corpus, idque in motus extraordinarios ciet, neque effectum alium determinatum in sanguinem, imo in totum corpus exferit, sed indeterminato modo pro mero stimulo inferuit. Quod si enim pars quaedam ceteris est debilior, a stimulo illo magis quam ceterae afficitur, et inflammabitur, aut si stimulus est materia quaedam morbosa, haec in eam decumbet, eamque inflammabit, orienturque morbus inflammatorius partialis,

localis,

localis, siue inflammatio. Sin etiam stimulus ille in totum corpus haud aequaliter, sed in vnam partem plus, in alteram minus agit, illae partes, quae plus ab eo patiuntur, inflammabuntur, et sic etiam inflammatio orietur, quae vero semper cum febre inflammatoria complicata erit, quum irritamentum illud nihilo minus in totum agat corpus. Sin etiam irritamentum in vnicam partem modo quam maxime locali agit, haud orietur febris inflammatoria, nisi ipsa haecce pars valde sensilis, siue cum ceteris partibus intimo commercio coniuncta, siue grandis sit, ideoque totum corpus in consensum trahat. Quod si vero irritamentum determinatum quemdam, eumque morbis inflammatoriis contrarium effectum, ex. gr. septicum, aliumue effectum exserit, nequidem morbus inflammatorius, sed alius orietur.

Quinam autem sexus prae altero febribus inflammatoriis sit obnoxius, quis facile perspiciet. Quum robur corporis, vigor virium vitalium, habitus strictus, solida firma ac robusta, et fluida bene cocta, ac mixta, ideoque spissa praefertim ad eas praedisponant, eaque vero omnia sexus virilis magis quam muliebris possideat, hinc et illum hoc propensio-rem esse in febres inflammatorias, censeo, quocum etiam quotidiana experientia optime congruit.

§. 23.

Locales morbi inflammatorii vocantur inflammationes, quae nil aliud sunt, nisi febres inflammatoriae partiales, in quas incidimus, si supra (§. 21.) dicto modo generatim in morbos inflammatorios praedispositi sumus, et inter causas inflamma-
tionum

tionum modo supra (§. 22.) descripto
 versamur. Eas ideo febres inflammato-
 rias locales voco, quod eadem sympto-
 mata in ipsis videamus, quae febres in-
 flammatorias comitari solent. Circulatio
 aucta, hinc pulsus durus, plenus, ac
 fortis, calor auctus, status quidam spa-
 sticus, nonne haecce symptomata et in
 febre instammatoria, et in inflammatione,
 in illa vniuersaliter, in hac localiter ad-
 sunt? In hac insuper obseruatur rubor et
 tumor, qui vero ab affluxu oriuntur, vbi
 enim irritatio, ibi affluxus, qui in illa
 locum habere nequit, in qua irritatio to-
 tum occupat corpus. Quum igitur, quo
 ceteris debilior pars quaeuis erit, eo ma-
 gis inflammationibus obnoxia sit, quando-
 quidem ab omnibus irritamentis eo magis
 quam ceterae afficietur, et materiae mor-
 bosae quaeuis eam plerumque adibunt,

hinc ad scopum meum sufficit, examinare, quasnam partes vterque sexus ceteris debiliores habeat, ut exinde determinari possit, quibusnam inflammationibus localibus quivis sexus prae altero sit obnoxius, semper habita ratione minoris mulierum dispositionis in morbos inflammatorios generatim, quam heic praemississe sufficiet, ne eam singulis vicibus repetere, necesse sit. Attamen haud omnes inflammationes locales seorsim considerare mihi mens est, quarum innumerae, imo tot dantur, quot dantur corporis partes, sed tantum quam maxime memorabiles pertractare mihi proposui.

Anginas primo consideremus loco, quas viros magis quam foeminas vexare videmus. Eae plerumque, si morbum sui generis efficiunt, neque in alio morbo

sympto-

symptomaticae, de quibus hic sermo haud
 est, occurrunt, a perfrigerio oriri solent,
 praesertim, quando frigidior tempestas ca-
 lidiori repente superuenit, quapropter ple-
 rasque epidemias anginaceas vel vere, vel
 autumnno, nec non hyeme, quando ex
 nimis calefactis cubiculis foras exire, et
 sic subito perfrigescere solemus, obser-
 vare est, et vere ac autumnno tempestas
 valde inconstans, mox calido tepore cor-
 pore laxat, mox frigore intensiore ea
 percutit, aut quis valde exaestuans frigi-
 do potu est abusus. Quum vero debili-
 tas partis cuiusuis praesertim inflamma-
 tionibus eam exponat, hinc illum sexum
 in anginas altero proniorem esse oportet,
 qui collum respectu ceterarum corporis
 partium alterius collo debilius habet.
 Hancce vero partem sexum virilem prae-
 cipue tueri, cuius patebit, consideraturo,

F 5

quam

quam sollicite viri collum vestimentis, velamentis, ac inuolucris inuoluere, et obtegere soleant, atque sic contra omnes coeli iniurias muniant, ideoque, simulac fortuito illud denudant, liberoque aëris aditui exponunt, mox tempestate praefertim frigidiore angina laborent, quum eorum collum infolitum liberi aëris aditum ferre haud valeat. Contra vero mulieres a prima infantia collum nullis aut leuibus tantum velamentis induere solent, idque sic omnibus coeli iniuriis adsuescunt, et roborant, ita vt ab illis ceterisque omnibus irritamentis tantopere haud afficiatur, et, vtpote respectu ceterarum partium virili robustius minime tot materies morbosas in semetipsum decumbere sinat, quantopere, et quot collum virile solet, quum, quo ceteris debilior pars quaedam est, eo magis ab omnibus irritamentis afficiatur,

ficiatur,

ficiatur, et eo magis quaeuis materies morbosae in eam decumbere ament.

Eadem quoque ratio est pleuritidis ac peripneumoniae, quae etiam sexum virilem saepius quam muliebrem aggredi solent, et quoad causas, ac differentiam sexus vtriusque minime ab anginis differunt, ideoque de ipsis eadem valere, quae de anginis dicta fuerunt, sponte patet.

Analogia quae inter illas pectoris inflammationes et hepatitides tam euidenter existit, quum pleuritidi hepatitis spuria, peripneumoniae vero hepatitis vera tam quoad causas, quam quoad symptomata tantopere sit similis, haud paullulum mouent, vt exinde explicare coner, cur hepatitides viros magis quam feminas affectare soleant. Irae quoque, quae viro-
rum

rum praecipue animi affectus est, rationem habendam esse credo, quippe quae haud dubie in producendis hepatitidibus magnum habet pondus, dum totum hepar spastice afficit, et bilem acuit, nimiumque eius affluxum producit. Quocirca ob hasce rationes virilem sexum hepatitidibus muliebri magis obnoxium esse censeo.

Alia prorsus ratio est inflammationum tubi intestinalis, nempe gastritidis ac enteritidis, tam iliacaе, quam colicae, quibus mulieres prae viris sunt expositae, quum, vti supra, quando de forma morborum gastrica egimus, vidimus, tubus intestinalis muliebris respectu ceterarum partium virili sit debilior, ideoque causae inflammationum quaeuis illum magis quam hunc afficiant, omnesque materiae morbosae in muliebri corpore formam gastricam

cam

cam tantopere, imo multo magis quam in corpore masculino ament, quae tum fere semper ope enteritidis gangraenescentis occidit, quam per irritationem a fese illatam produxit. Quoties etiam anomaliae menstruae enteritides producunt, sexui tantum muliebri propriae? Hinc sponte patet, cur inflammationes systematis gastrici mulieres magis affectant, quam viros.

Morbi putridi.

§. 24.

Plane contraria priori est ea morborum classis, quae nunc considerata venit, ac etiam causas, et symptomata illis prioris plane contraria habet, priorique oppositum vitium est sanguinis. Symptomata morborum putridorum sunt debilitas summa; animus abiectus, tristis; pulsus celer, frequens, parvus, debilis, calor sic

sic dictus mordax; sanguis sic dictus colli-
 quatiuus, putridus, dissolutus, qui nempe
 aegre, aut minime coagulatur, nullam,
 aut debilem, haud compactam, firmam-
 que a leuiore commotione, aut agitatione
 mox dissoluendam placentam format, et
 ferum subrubellum habet, id quod prauam
 secessionem, et liquefactionem quandam
 cruoris in fero denotat; et colliquatio
 summa, vnde exanthemata cruenta a
 sanguine nimis dissoluto, hinc vbique per
 minimos poros erumpente, sudores colli-
 quatiui, haemorrhagiae colliquatiuae ac
 multifaria profluua, vti ex. gr. aluina,
 vrinalia, aliaque hosce morbos putridos
 comitari solent. Ob magnam illam de-
 bilitatem semper hanc comitari solita ir-
 ritabilitas magna plerumque adest, ita vt
 symptomata neruosa multifaria plerumque
 obseruentur, ni forsau debilitas tam altum
 attigerit

attigerit fastigium. ut eam irritabilitas
 sequi amplius nequeat, et, quasi plane
 consumpta, in oppositum vitium in stu-
 porem abeat, qui status illo nimiae irri-
 tabilitatis haud dubie est periculofior, aut
 causae morbi iam ab initio vim quandam
 narcoticam exferuerint, et iam ab initio
 irritabilitatem omnem vna cum ceteris
 viribus vitalibus prostrauerint, quo in
 casu iam ab initio stupor ille adest. Col-
 liquatio etiam cum debilitate semper pari
 incedit passu, vti in morbis inflammato-
 riis diathesis sanguinis phlogistica cum
 excessu virium vitalium, id quod et in
 statu sano obseruatur, quum, quo magis
 ad diathesin inflammatoriam sanguis acce-
 dit, eo sit robustior, et quo magis in
 diathesin putridam ille propendet, eo
 euadat debilior quiuis. Anne forsan hae
 duae conditiones, quum semper pari in-
 cedant

cedant passu, vna alterius est causa, aut suntne tantum doeffectus alius tertiae causae? Rem attente consideranti mihi quidem videtur illo casu excepto, in quo colliquatio a miasmate quodam septico producitur, quod immediate in sanguinem ipsum agit, semper debilitas colliquationem causare, haecque igitur illam vti effectus causam suam sequi. Simulac enim languescit, corpus, mox omnis solidorum actio in fluida, omnesque functiones etiam languescunt, hinc oritur stagnatio quaedam humorum, qui non amplius praeparantur, et coquuntur, vti antea soliti fuerant, vnde necessario sequitur corruptio quaedam, in pathologia humoralis colliquatio dicta. Quicquid tamen sit, quum debilitatem semper cum sanguine tenui, atque in colliquationem inclinante coniunctam videamus, hinc sexum debiliorem

liorem robustiore proniorem in morbos putridos esse sequitur, ideoque sexum muliebrem hasce tueri partes.

Colliquatio acuta febrilis vocatur febris putrida, quae oritur, si miasma quoddam febrile septicum corpus inuasit, aut si solidis corporis partibus debilibus, et exinde humoribus iam in colliquationem pronis, ac tenuibus existentibus corpus sic ad morbos putridos praedispositum, irritamentum quoddam febrile ingressum fuit, quod indeterminato modo tantum febrem producit. Ob hanc praedispositionem febris haecce euadet putrida, aut alius generis febris euasisset, si corpus aliter praedispositum fuisset, aut si plane nulla praedispositio in corpore illo latuisset, febris etiam neutrius generis euasisset. Saepe hae febres putridae epidemice

grassantur, tumque tempestas calida et
 humida, siue, vti quidam perhibent, mi-
 asma quoddam septicum eas producere
 dicuntur. Quicquid tamen fit, facile ta-
 men quiuis videt, in quibusuis epidemiis
 eos prae ceteris febre hacce corripiri debere,
 qui iam antea supra dicto modo in eam
 praedispositi fuerant, tempestas enim illa
 debilitando epidemias hasce putridas pro-
 ducere videtur, si ergo corpus debile iam
 antea fuerat, haud multum illi est agen-
 dum, vt huic febrem inferat putridam; et
 si miasma illud septicum, quod imme-
 diate in sanguinem ipsum agit, hunc iam
 tenuem, atque ad dissolutionem et col-
 liquationem pronum inuenerit, mox eum
 re vera dissoluerit, ac liquefecerit. Hinc,
 quomodocunque febres putridae oriantur,
 in eas tamen mulieres viris proniores esse
 debent.

Colli-

Colliquatio chronica non febrilis vocatur scorbutus, morbus inter maris accolas nec non in classibus endemius, alibi rarissimus. Ab alimentis pravis, salinis, quibus nautae vescuntur, et inter maris accolas forsan a nimio piscium esu oriri videtur, vnde mox nutritio deficit, hinc corpus languescit, et ad putredinem praedisponitur, in quam etiam alimenta illa vergunt. Hinc scorbutus quidam interdum etiam in castris obseruatus fuit, quando alimenta deficiebant, vel deprauata erant. Quum vero sexus muliebris nec nauigare, nec militare soleat, hinc scorbutus toties haud corripitur, quoties viri eo laborare solent, licet ob maiorem suam praedispotionem in morbos putridos generatim, etiam in scorbutum viris sit pronior, quem tamen effugit causas euitans occasionales.

—

Morbi gastrici.

§. 25.

Alius venit considerandus morborum ordo, omnium fere maxime memorabilis, et frequentissimus, quippe quem vitae genus hodiernum luxuriosum, ac intemperans omnium maxime auxerunt, multiplicarunt, ac diuulgarunt. Ad eum pertinent ii morbi, quorum materies est gastrici originis, vti ex. gr. bilis, pituita, vermes intestinales, etc. non autem aliunde oriunda et in systema gastricum delata, quippe qui morbi quoad formam tantum gastrici sunt, de quibus supra egimus. Illa vero materies morbosa vocatur colluvies, et pro varia sua natura varios quoque morbos producit, et proinde quoque ipsamet diuersimode nominatur, vti acida, si acidae, biliosa, si biliosae, pituitosa, si pituitosae, verminosa, si verminosae

est

est naturae, et sic porro, de quibus nunc
singulis seorsim.

§. 26.

Colluuius acida oritur, quando ali-
menta ingesta acefcunt, et in corruptio-
nem acidam abeunt, et digestionem valde
deprauatam, debiles primas vias, ac bi-
lem inertem, vappidam ponit. Profecto
enim vir fanus, ac robustus, bonaque
digestione gaudens, et bilem bonam,
acrem in penu habens, colluuiie acida
haud laborabit, fed potius homines, et
praefertim feminae debiles, molles, di-
gestione deprauata, debili gaudentes, et
bilem habentes infpidam acore primarum
viarum laborant. Magnopere enim bilis
fana acori aduerfatur, vtpote in oppofi-
tam potius naturam vergens, quamdiu
ergo ea iuftam conferuat acrimoniam, et

quamdiu vires digestionis vigent, et assimilatione strenue perfunguntur, tamdiu colluies acida oriri nequit. Citius enim ingesta in naturam vertuntur animale, acori aduersariam, quam in acrimoniam acidam abire possent. Quum igitur praefertim debilitas primarum viarum, et bilis fatua, vappida indeque oriunda digestio lenta, ac tarda, et debilis acrimoniae acidae tantopere faueant, hinc sexum sequiorem, vtpote bilem virili debiliorem, et primas vias virilibus longe debiliores habentem acori primarum viarum sexu virili magis obnoxium esse, necessario sequitur, quocum et quotidiana experientia magnopere congruit.

§. 27.

Colluies biliosa bilis vitium ponit,
pro varietate huius vitii etiam perquam
varia.

varia. Bilis autem praefertim quantitate, et qualitate peccare potest, de quibus singulis seorsim.

Bilis quantitate peccans vel nimia copia, vel haud sufficiente adesse potest. Quaecunque secretionem bilis nimis augent, primum, quae vero minuunt, ac prohibent, secundum vitium producere valent. Secretio autem bilis augeri potest a bile ipsa iusto acriore; irritatio enim attrahit, et vbi irritatio, ibi affluxus, et ab ira, affectu animi bilioso, nec non ab aliis quibusdam occasionibus, quae vero sub quibusdam tantum conditionibus huncce praestant effectum, alias longe alium producentes, vti ex. gr. exaestuatio nimia, subitum refrigerium, etc. quas ideo heic omitto, illas tantummodo heic proferens causas, quae effectum illum ni-

miae bilis secretionis semper producere
 solent. Quum autem hisce duabus cau-
 sis nimiae bilis copiae viri haud dubie
 mulieribus magis obnoxii sint, vtpote bi-
 lem habentes muliebri acriorem, iraque
 viros magis quam feminas exerceat, hinc
 et viros magis quam mulieres bile nimia
 laborare concludi potest. Ideo et ob con-
 trarias rationes, ob bilem muliebrem
 vappidam, pituitosam, quales omnes
 mulierum humores sunt, et ob defectum
 illorum animi affectuum, qui bilem alli-
 cere solent, inter quos ira primum tenet
 locum, hepar muliebre ad secretionem
 bilis tantopere haud incitatur, vti mascu-
 lum solet, hinc pauciores affluunt hu-
 mores, circulatio in illo viscere valde
 lenta est, vnde obstructionibus magna
 praebetur occasio, iterum secretionem bi-
 lis impredientibus, vnde mirum haud est,

mulie-

mulieres frequentius quam viros defectu-
bilis, hinc oriundis obstructionibus alui-
nis, acore primarum viarum, digestionem
difficili, ac lenta, et cruditatibus fre-
quentibus, nec non ob magnam illam
propensionem in obstructiones hepatis cal-
culis felleis, aliisque concrementis in he-
pate obuiis laborare.

Bilis qualitate peccans varios produ-
cit morbos, et duobus praesertim obno-
xia est vitiis, nimiae nempe acrimoniae,
et nimiae vappiditati. Bilis enim cau-
stica acutos praesertim, vappida vero
chronicos praesertim morbos producere
solet, illa enim vtpote vehementer irri-
tans totum corpus mox valde afficit, haec
autem tantas turbas haud producit, sed
potius lente et occulto sanitatem euertit.
Quum autem omnes humores generatim

in

in virili corpore acriores, in muliebri vappidiores, magis pituitosi, ac dilutiores esse soleant, hinc et bilem virilem in nimiam acrimoniam, muliebrem vero in vappiditatem pronam esse patet, ideoque et sexum virilem morbis a bile caustica, muliebrem illis a bile vappida oriundis magis obnoxium esse, sponte sequitur.

§. 28.

Colluuius pituitosa in primis viis adest, quando pituita ibi nimis abundat, vario modo ibi oriunda. Causa eius proxima semper tamen est debilitas primarum viarum. Hinc ob minorem resistantiam, quam affluentibus humoribus opponere valent, congestionibus frequentibus sunt obnoxiae, omnes earum secretiones ob hancce plethoram, harumque praecipua,

muci

muci intestinalis, nimis augmentur, vna et ob digestionem debilem ingesta haud in chylum sanum, sed potius in massam quandam pituitosam conuertuntur, et sic sensim colluies pituitosa accumulatur, quae sensim in secundas vias, et demum in sanguinem quoque penetrat, totumque corpus pituita inundat. Hoc etiam ob prauam nutritionem mox debilitatur, et sic illi pituitae ex primis viis vltterius progredientis excipiendae in dies aptius euadit. Sexus muliebris vtpote intestina respectu ceterarum partium virilibus debiliora habens necessario etiam sexu virili pronior in hancce colluuiem est, quippe cuius totius corporis habitus, vtpote virili laxior, mollior, debilior generandae pituitae tantopere fauet, quocum etiam quotidiana experientia optime congruit.

Plane memorabilis ea est primarum
 viarum colluies, quae a vermibus in-
 testinalibus oriri solet, ideoque verminosa
 appellatur. Varia horum animantium
 genera, variasque species seorsim confi-
 derare, huius loci non est, neque omnes
 circa eorum originem formatas hypothe-
 ses singulas afferre et examinare, ad sco-
 pum meum pertinet, cui vnica sufficit.
 Omnis verisimilitudine ac probabilitate
 haud caret, vermium semina omnibus
 hominibus inuata esse, non autem in om-
 nibus in vermes ipsos euolui, quando-
 quidem quamplurimi dantur, qui per to-
 tam vitam ne minimum quidem signum
 vermium in sese obseruauerunt, et in quorum
 cadaueribus dissectis ne minimum quidem
 vestigium horum animalium repertum
 fuit. Alias enim impossibile est explicatu,
 vnde

vnde nonnullis vermes aduenerunt, quorum parentes verminosi haud fuerunt, ita vt hancce labem hereditario modo accipere haud potuerint, quam et insuper saepe prouectiore iam aetate demum acquirunt. Ex hereditate hoc explicari nequit, et si malum est hereditarium, quando primum incepit, quis eo primus laboravit, cur multi, quorum parentes haud dubie verminosi fuerunt, a vermibus plane sunt immunes? Nonne fatius est, statuere, omnibus hominibus vermium semina innata et congenita esse, quibus vero causae quaedam occasionales accedere debeant, vt in vermes ipsos euoluantur? Quibus ergo familiis gentibusque haec causae occasionales haereditariae sunt, iis et vermes haereditarii erunt, quorum semina omnibus hominibus inhaerent, et qui in causas illas occasionales incidunt,

H

hi

hi verminosi euadunt, licet parentes tales non fuerint, contra vero, qui in eas haud incidunt, hi a vermibus immunes erunt, licet parentes verminosi fuerint. Sic et quidam transitorio tantum modo verminosi aliquantisper esse possunt, antehac et posthac a vermibus liberi, si nempe aliquantisper tantum inter causas illas occasionales versati fuerunt.

Quaenam vero illae sint causae occasionales, ego quidem ignoro. Licet omnes verminosi debilia habeant intestina, hancce debilitatem tamen vermes producere, haud sequitur, effectus enim vermium aequae ac causa esse potest. Innumerae esse possunt haec causae occasionales, fortasse et interdum specificae, uti arthriticae, scrophulosae, venereae, haemorrhoidales, aliaeque, quis enim
refutare

refutare potest, tales causas interdum vermes ex feminiis congenitis euoluere valere? Magna enim adest suspicio, medicos in expellendis vermibus ideo tantum successu fausto toties carere, quia in nullas inquisuerunt indicationes, sed ex innumeris illis remediis anthelminticis, vnum sola ducti empeiria elegerint, ac adhibuerint. Fortasse curae eorum anti-verminosae melius successissent, si indicationes quascunque eruisent, iisque factis fecissent, ac tum demum, si vermes nondum abacti fuissent, remediis illis anthelminthicis, specificis empeirice vfi fuissent. Fieri enim posset, vt causa occasionali sublata, veruntamen vermes remanerent, iam vero forsan haud difficulter remediis specificis abigendi, et causa occasionali sublata numquam redituri, ni et haecce redeat. Quicquid sit, licet

—

folia intestinorum debilitas vermes producere haud videatur, quum multos debilibus intestinis praeditos a vermibus tamen immunes videamus, negari tamen nequit, eam vermibus magnopere fauere, quum omnia remedia, quae pristinum robur intestinis reddunt, vermibus tam sint inimica, vt remediis anthelminticis etiam annumerata fuerint. Hinc et vermes sexum muliebrem vtpote debiliora intestina illis sexus masculini habentem magis quam virilem amare concludi potest, licet ideo mares tamen a vermibus immunes haud sunt, quandoquidem causis illis occasionalibus, quae femina verminosa in vermes ipsos evolueri valent, ac multifariae esse possunt, aequae ac mulieres expositi sunt.

—

THESES.

THESES.

I.

*Uterus fibris muscularibus caret, neque
opus habet.*

II.

*Exstirpatio in curandis scirrhis, cancerisque,
si locus ei est, medicamentis internis
empeiricis praeferenda mihi videtur.*

III.

*Pus in Abscessu ipso, modo quam maxime
locali, generatur.*

H 3

IV.

IV.

Variolarum insitio, absente epidemia variolosa, publice prohibeatur.

V.

Solutio placentae naturae relinquenda est.

VI.

In omni morbo curando diaeta bona et congrua maioris est momenti, quam omnia remedia pharmaceutica.

VII.

Tiro medicus ab ineunte iam cursu sic dicto theoretico ad aegrotorum lectulos ducendus haud est.

VIII.

VIII.

Ars medica tam coniecturalis haud est, qualis a multis perhibetur, sed certitudine quadam gaudet.

IX.

Torturae subinde, et sub quibusdam conditionibus locus adhuc esse, eaque ideo haud abroganda mihi videtur

X.

Fluidum nerveum adesse contendo-

XI.

Crebra venaesectio ad plethoram praedisponit.

XII.

XII.

*Vermium seminia omnibus hominibus con-
genita sunt, non autem in omnibus
in vermes ipsos euoluuntur, siquidem
causa quaedam occasionalis ad hocce
efficiendum requiritur.*

Path gen. 586

